

## AUSONE

## PARENTALIA (437 vers)

PRAEFATIO IN PROSA  
[oratio soluta]

P1

## ITEM PRAEFATIO VERSIBUS ADNOTATA

P2

v.1 Nomina carorum jam condita funere justo,  
 2 fleta prius lacrimis, nunc memorabo modis,  
 3 nuda, sine ornatu fandique carentia cultu :  
 4 sufficit inferiis exsequialis honos.  
 5 Nenia funereis satis officiosa querellis,  
 6 annua ne tacitus munera praetereas,  
 7 quae Numa cognatis sollemnia dedicat umbris,  
 8 ut gradus aut mortis postulat aut generis.  
 9 Hoc satis et tumulis, satis et telluris egenis :  
 10 voce ciere animas funeris instar habet.  
 11 Gaudent compositi cineres sua nomina dici :  
 12 frontibus hoc scriptis et monumenta jubent.  
 13 Ille etiam, maesti cui defuit urna sepulcri,  
 14 nomine ter dicto paene sepultus erit.  
 15 At tu, quicumque es, lector, qui fata meorum  
 16 dignaris maestis commemorare elegis,  
 17 inconcussa tuae percurras tempora vitae  
 18 et praeter justum funera nulla fleas.

## IULIUS AUSONIUS PATER

P3

v.1 Primus in his pater Ausonius, quem ponere primum,  
 2 etsi cunctetur filius, ordo jubet.  
 3 Cura dei, placidae functus quod honore senectae  
 4 undecies binas vixit Olympiadas.  
 5 Omnia, quae voluit, qui prospera vidit : eidem,  
 6 optavit quidquid, contigit ut voluit.  
 7 Non quia fatorum nimia indulgentia, sed quod  
 8 tam moderata illi vota fuere viro.  
 9 Quem sua contendit septem sapientibus aetas,  
 10 quorum doctrinam moribus excoluit,  
 11 viveret ut potius quam diceret, arte sophorum,  
 12 quamquam et facundo non rudis ingenio.  
 13 Praeditus et vitas hominum ratione medendi  
 14 porrigere et fatis amplificare moras.  
 15 Inde et perfunctae manet haec reverentia vitae,  
 16 aetas nostra illi quod dedit hunc titulum :  
 17 ut nullum Ausonius, quem sectaretur, habebat,  
 18 sic nullum, qui se nunc imitetur, habet.

## AEMILIA AEONIA MATER

P4

v.1 Proxima tu, genetrix Aeoniam, sanguine mixto  
 2 Tarbellae matris patris et Haeduici.  
 3 Morigerae uxoris virtus cui contigit omnis,

4 fama pudicitiae lanificaeque manus  
 5 conjugiique fides et natos cura regendi  
 6 et gravitas comis laetaque serietas.  
 7 Aeternum placidos manes complexa mariti,  
 8 viva torum quondam, functa fove tumulum.

P5 v.1 AEMILIUS MAGNUS ARBORIUS AVUNCULUS  
 2 Culta mihi est pietas patre primum et matre vocatis,  
 3 dici set refugit tertius Arborius,  
 4 quem primum memorare nefas mihi patre secundo,  
 5 rursus non primum ponere paene nefas.  
 6 Temperies adhibenda, et proximus ille vocandus  
 7 ante alios, quamquam patre secundus erit.  
 8 Tu frater genetricis et unanimis genitori  
 9 et mihi qui fueris, quod pater et genetrix,  
 10 qui me lactantem, puerum juvenemque virumque  
 11 artibus ornasti, quas didicisse juvat.  
 12 Te sibi Palladiae antetulit toga docta Tolosae,  
 13 te Narbonensis Gallia praeposuit,  
 14 ornasti cujus Latio sermone tribunal  
 15 et fora Hiberorum quaeque Novem populis.  
 16 Hinc tenus Europam fama crescente petito  
 17 Constantinopolis rhetore te viguit.  
 18 Tu per mille modos, per mille oracula fandi  
 19 doctus, facundus, tum celer atque memor.  
 20 Tu, postquam primis placui tibi traditus annis,  
 21 dixisti nato me satis esse tibi.  
 22 Me tibi, me patribus clarum decus esse professus  
 23 dictasti fatis verba notanda meis.  
 24 Ergo vale Elysiam sortitus, avuncule, sedem :  
 haec tibi de Musis carmina libo tuis.

P6 v.1 CAECILIUS ARGICIUS ARBORIUS AVUS  
 2 Officiosa pius ne desere, pagina, munus :  
 3 maternum post hos commemoremus avum  
 4 Arborium, Haeduico ductum de stemmate nomen,  
 5 complexum multas nobilitate domus,  
 6 qua Lugdunensis provincia quaque potentes  
 7 Haedues, Alpino quaque Vienna jugo.  
 8 Invida set nimium generique opibusque superbis  
 9 aerumna incubuit ; namque avus et genitor  
 10 proscripti, regnum cum Victorinus haberet  
 11 victor et in Tetricos reccidit imperium.  
 12 Tum profugum in terris, per quas erumpit Aturrus,  
 13 Tarbellique furor perstrepat Oceani,  
 14 grassantis dudum Fortunae tela paventem  
 15 pauperis Aemiliae condicio implicuit.  
 16 Mox tenuis multo quaesita pecunia nisu  
 17 solamen fesso, non et opes tribuit.  
 18 Tu caeli numeros et conscia sidera fati  
 19 callebas, studium dissimulanter agens.  
 20 Non ignota tibi nostrae quoque formula vitae,  
 21 signatis quam tu condideras tabulis,  
 22 prodita non umquam ; sed matris cura retexit,  
 23 sedula quod timidi cura tegebat avi.  
 Tu novies denos vitam cum duxeris annos,

24 expertus Fortis tela cavenda deae,  
 25 amissum flesti post trina decennia natum  
 26 saucius : hoc leto lumine cassus eras.  
 27 Dicebas sed te solacia longa fovere,  
 28 quod mea praecipuus fata maneret honos.  
 29 Et modo conciliis animarum mixte priorum  
 30 fata tui certe nota nepotis habes.  
 31 Sentis, quod quaestor, quod te praefectus et idem  
 32 consul honorifico munere conmemoro.

AEMILIA CORINTHIA MAURA AVIA

P7 v.1 Aemiliam nunc fare aviam, pia cura nepotis,  
 2 conjunx praedicto quae fuit Arborio.  
 3 Nomen huic joculari datum, cute fusca quod olim  
 4 aequales inter Maura vocata fuit.  
 5 Sed non atra animo, qui clarior esset olore  
 6 et non calcata qui nive candidior.  
 7 Et non deliciis ignoscere prompta pudendis  
 8 ad perpendiculum seque suosque habuit.  
 9 Haec me praereptum cunis et ab ubere matris  
 10 blanda sub austeris inbuit imperiis.  
 11 Tranquillos aviae cineres praestate quieti  
 12 aeternum manes, si pia verba loquor.

AEMILIA HILARIA MATERTERA VIRGO DEVOTA

P8 v.1 Tuque gradu generis matertera, sed vice matris  
 2 affectu nati commemoranda pio,  
 3 Aemilia, in cunis Hilari cognomen adepta,  
 4 quod laeta et pueri comis ad effigiem,  
 5 reddebas verum non dissimulanter ephebum,  
 6 more virum medicis artibus experiens.  
 7 Feminei sexus odium tibi semper et inde  
 8 crevit devotae virginitatis amor.  
 9 Quae tibi septenos novies est culta per annos  
 10 quique aevi finis, ipse pudicitiae.  
 11 Haec, quia uti mater monitis et amore fovebas,  
 12 supremis reddo filius exsequiis.

CL. CONTENTUS ET IULIUS CALLIPPUS PATRUI

P9 v.1 Et patruos, elegea, meos reminiscere cantu,  
 2 Contentum, tellus quem Rutupina tegit.  
 3 Magna cui et variae quaesita pecunia sortis  
 4 heredis nullo nomine tuta perit ;  
 5 raptus enim laetis et adhuc florentibus annis  
 6 trans mare et ignaris fratribus oppetiit.  
 7 Julius in longam produxit fata senectam,  
 8 affectus damnis innumerabilibus,  
 9 qui comis blandusque et mensa commodus uncta  
 10 heredes solo nomine nos habuit.  
 11 Ambo pii, vultu similes, joca seria mixti,  
 12 aevi fortunam non habuere parem.  
 13 Discreti quamquam tumultis et honore jacetis,  
 14 commune hoc verbi munus habete, "vale."

- ATTUSIUS LUCANUS TALISIUS SOCER
- P10 v.1 Qui proceres veteremque volet celebrare senatum  
 2 claraque ab exortu stemmata Burdigalae,  
 3 teque tuumque genus memoret, Lucane Talisi,  
 4 moribus ornasti qui veteres proavos.  
 5 Pulcher honore oris, tranquillo pectore comis,  
 6 facundo civis major ab ingenio ;  
 7 venatu et ruris cultu victusque nitore  
 8 omne aevum peragens, publica despiciens :  
 9 nosci inter primos cupiens, prior esse recusans,  
 10 ipse tuo vivens segregus arbitrio.  
 11 Optabas tu me generum florente juvena :  
 12 optare hoc tantum, non et habere datum.  
 13 Vota probant superi meritisque faventia sanctis  
 14 inplent fata, viri quod voluere boni.  
 15 Et nunc perpetui sentis sub honore sepulcri,  
 16 quam reverens natae quamque tui maneam.  
 17 Caelebs namque gener haec nunc pia munera solvo :  
 18 nam et caelebs numquam desinet esse gener.
- ATTUSIA LUCANA SABINA UXOR
- P11 v.1 Hactenus ut caros, ita justo funere fletos  
 2 functa piis cecinit nenia nostra modis.  
 3 Nunc, dolor atque cruces nec contrectabile fulmen,  
 4 conjugis ereptae mors memoranda mihi.  
 5 Nobilis a proavis et origine clara senatus,  
 6 moribus usque bonis clara Sabina magis,  
 7 te juvenis primis luxi deceptus in annis  
 8 perque novem caelebs te fleo Olympiadas.  
 9 Nec licet obductum senio sopire dolorem ;  
 10 semper crudescit nam mihi poena recens.  
 11 Admittunt alii solacia temporis aegri :  
 12 haec graviora facit vulnera longa dies.  
 13 Torqueo deceptos ego vita caelibe canos,  
 14 quoque magis solus, hoc mage maestus ago.  
 15 Volnus alit, quod muta domus silet et torus alget,  
 16 quod mala non cuiquam, non bona participo.  
 17 Maereo, si conjunx alii bona, maereo contra,  
 18 si mala : ad exemplum tu mihi semper ades.  
 19 Tu mihi crux ab utraque venis ; sive est mala, quod tu  
 20 dissimilis fueris, seu bona, quod similis.  
 21 Non ego opes cassas et inania gaudia plango,  
 22 sed juvenis juveni quod mihi rapta viro.  
 23 Laeta, pudica, gravis, genus inclita et inclita forma,  
 24 et dolor atque decus conjugis Ausonii.  
 25 Quae modo septenos quater inpletura Decembres,  
 26 liquisti natos, pignera nostra, duos.  
 27 Illa favore dei, sicut tua vota fuerunt,  
 28 florent, optatis accumulata bonis.  
 29 Et precor, ut vigeant tandemque superstite utroque  
 30 nuntiet hoc cineri nostra favilla tuo.
- AUSONIUS PARVULUS FILIUS
- P12 v.1 Non ego te infletum memori fraudabo querella,  
 2 primus, nate, meo nomine dicte puer.  
 3 Murmura quem primis meditantem absolvere verbis,

4 indolis et plenae, planximus exsequiis.  
 5 Tu gremio in proavi funus commune locatus,  
 6 invidiam tumuli ne paterere tui.

PASTOR NEPOS EX FILIO

P13 v.1 Tu quoque maturos, puer in mature, dolores  
 2 interrupisti luctus acerbus avi,  
 3 Pastor care nepos, spes cujus certa fuisses,  
 4 Hesperii patris tertia progenies.  
 5 Nomen, quod casus dederat (quia fistula primum  
 6 pastorale melos concinuit genito),  
 7 Sero intellectum vitae brevis argumentum :  
 8 spiritus afflatis quod fugit e calamis.  
 9 Occidis emissae percussus pondere testae,  
 10 abjecit tecto quam manus artificis.  
 11 Non fuit artificis manus haec : manus illa cruenti  
 12 certa fuit fati suppositura reum.  
 13 Heu, quae vota mihi, quae rumpis gaudia, Pastor !  
 14 Illa meum petiit tegula missa caput.  
 15 Dignior o, nostrae gemeres qui fata senectae  
 16 et quererere meas maestus ad exsequias !

IULIA DRYADIA SOROR

P14 v.1 Si qua fuit virtus, cuperet quam femina prudens  
 2 esse suam, soror hac Dryadia haud caruit.  
 3 Quin etiam multas habuit, quas sexus habere  
 4 fortior optaret nobilitasque virum.  
 5 Docta satis vitamque colu famamque tueri,  
 6 docta bonos mores ipsa suosque docens.  
 7 Et verum vita cui carius unaque cura  
 8 nosse deum et fratrem diligere ante alios.  
 9 Coniuge adhuc juvenis caruit, sed seria vitans  
 10 moribus austeras aequiperavit anus  
 11 produxitque hilarem per sena decennia vitam,  
 12 inque domo ac tecto, quo pater, oppetiit.

AVITIANUS FRATER

P15 v.1 Avitianum, Musa, germanum meum  
 2 dona querella funebri.  
 3 Minor iste natus me, sed ingenio prior  
 4 artes paternas inbibit.  
 5 Verum iuventae flore laeto perfrui  
 6 aevique supra puberis  
 7 exire metas vetuit infesta Atropos.  
 8 Heu quem dolorem sauciis !  
 9 Heu quanta vitae decora, quem cultum spei,  
 10 germane, pubes deseris,  
 11 germane carnis lege et ortu sanguinis,  
 12 amore paene filius.

VAL. LATINUS EUROMIUS GENER

P16 v.1 O generis clari decus, o mihi funus acerbum,  
 2 Euromi, e juvenum lecte cohorte gener,  
 3 occidis in primae raptus mihi flore iuventae,

4 lactantis nati vix bene note pater.  
 5 Tu procerum de stirpe satus, praegressus et ipsos,  
 6 unde genus clarae nobilitatis erat,  
 7 ore decens, bonus ingenio, facundus et omni  
 8 dexteritate vigens praecipuusque fide.  
 9 Hoc praefecturae sedes, hoc Illyris ora  
 10 praeside te experta est, fiscus et ipse cliens.  
 11 Nil aevi brevitatem tamen tibi laudis ademptum :  
 12 indole maturus, funere acerbus obis.

## POMPONIUS MAXIMUS ADFINIS

P17 v.1 Et te germanum non sanguine, sed vice fratris,  
 2 Maxime, devinctum nenia nostra canet.  
 3 Coniunx namque meae tu consociate sorori  
 4 aevi fruge tui destituis viduam.  
 5 Non domus hoc tantum sensit tua, sensit acerbum  
 6 saucia pro casum curia Burdigalae,  
 7 te primore vigens, te deficiente relabens  
 8 inque Valentinum te moriente cadens.  
 9 Heu quare nato, qui fruge et flore nepotum,  
 10 ereptus nobis, Maxime, non frueris ?  
 11 Set frueris, divina habitat si portio manes  
 12 quaeque futura olim gaudia nosse datur.  
 13 Longior hic etiam laetorum fructus habetur,  
 14 anticipasse diu, quae modo participas.

## VERIA LICERIA UXOR ARBORII SORORIS FILII

P18 v.1 Tu quoque sive nurus mihi nomine, vel vice natae,  
 2 Veria, supremi carmen honoris habe.  
 3 Cujus si probitas, si forma et fama fidesque  
 4 morigerae uxoris lanificaeque manus  
 5 nunc laudanda forent, procul et de manibus imis  
 6 accersenda esset vox proavi Eusebii.  
 7 Qui quoniam functo jam pridem conditus aevo,  
 8 transcripsit partes in mea verba suas,  
 9 accipe funereas, neptis defleta, querellas,  
 10 coniunx Arborii commemoranda mei,  
 11 cui parva ingentis luctus solacia linquens  
 12 destituis natos, quo magis excrucias.  
 13 At tibi dilecti ne desit cura mariti,  
 14 juncta colis thalamo nunc monumenta tuo.  
 15 Hic, ubi primus hymen, sedes ibi maesta sepulcri :  
 16 nupta magis dici quam tumulata potes.

## POMPONIUS MAXIMUS HERCULANUS SORORIS FILIUS

P19 v.1 Nec germana genitum te  
 2 modulamine nenia tristi  
 3 tacitum sine honore relinquat,  
 4 super indole cujus adulti  
 5 magnae bona copia laudis.  
 6 Verum memorare magis quam  
 7 functum laudare decebit.  
 8 Decus hoc matrisque meumque  
 9 in tempore puberis aevi  
 10 vis perculit invida fati.

11 Eheu quem, Maxime, fructum,  
 12 facunde et musice et acer,  
 13 mentem bonus, ingenio ingens,  
 14 volucer pede, corpore pulcher,  
 15 lingua catus, ore canorus.  
 16 Cape munera tristia patrum,  
 17 lacrimabilis orsa querellae,  
 18 quae funereo modulatu  
 19 tibi maestus avunculus offert.

FL. SANCTUS MARITUS PUDENTILLAE QUAE SOROR SABINAE MEAE

P20 v.1 Qui joca laetitiamque colis, qui tristia damnas  
 2 nec metuis quemquam nec metuendus agis,  
 3 qui nullum insidiis captas nec lite laccessis,  
 4 sed justam et clemens vitam agis et sapiens,  
 5 tranquillos manes supremaque mitia Sancti  
 6 ore pio et verbis advenerare bonis.  
 7 militiam nullo qui turbine sedulus egit,  
 8 praeside laetatus quo Rutupinus ager,  
 9 octoginta annos cujus tranquilla senectus  
 10 nullo mutavit deteriore die.  
 11 Ergo precare favens, ut qualia tempora vitae,  
 12 talia et ad manes otia Sanctus agat.

NAMIA PUDENTILLA ADFINIS

P21 v.1 Tuque Pudentillam verbis adfare supremis,  
 2 quae famae curam, quae probitatis habes.  
 3 Nobilis haec, frugi, proba, laeta, pudica, decora,  
 4 conjugium Sancti jugiter haec habuit.  
 5 Inviolata tuens castae praeconia vitae  
 6 rexit opes proprias, otia agente viro :  
 7 non ideo exprobrans aut fronte obducta marito,  
 8 quod gereret totam femina sola domum.  
 9 Heu nimium juvenis, sed laeta superstite nato  
 10 atque viro, patiens fata suprema obiit :  
 11 unanimis nostrae et quondam germana Sabinae  
 12 et mihi inoffenso nomine dicta soror.  
 13 Nunc etiam manes placidos pia cura retractat  
 14 atque Pudentillam fantis honore colit.

LUCANUS TALISIUS + CURAM FILII

P22 v.1 Nec jam tu, matris spes unica, ephebe Talisi,  
 2 consobrine meus, inmemoratus eris,  
 3 ereptus primis aevi florentis in annis,  
 4 jam tamen et conjunx, jam properate pater.  
 5 Festinasse putes fatum, ne funus acerbum  
 6 diceret hoc genitor tam cito factus avus.

ATTUSIA LUCANA TALISIA. ERMINUSCIUS REGULUS ADFINIS

P23 v.1 Notitia exilis nobis, Attusia, tecum,  
 2 cumque tuo plane conjuge nulla fuit.  
 3 Verum tu nostrae soror es germana Sabinae,  
 4 adfinis quoque tu, Regule, nomen habes.  
 5 Sortitos igitur tam cara vocabula nobis

6 stringamus maesti carminis obsequio.  
 7 Quamvis Santonica procul in tellure jacentes  
 8 pervenit ad manes exsequialis honor.

P24 SEVERUS CENSOR IULIANUS CONSOCER  
 v.1 Desinite, o veteres, Calpurnia nomina, Frugi  
 2 ut proprium hoc vestrae gentis habere decus.  
 3 Nec solus semper censor Cato nec sibi solus  
 4 justus Aristides his placeant titulis.  
 5 Nam sapiens quicumque fuit verumque fidemque  
 6 qui coluit, comitem se tibi, Censor, agat.  
 7 Tu gravis et comis cum justitiaque remissus,  
 8 austeris doctus jungere temperiem.  
 9 Tu non adscito tibi me nec sanguine juncto  
 10 optasti nostras consociare domos.  
 11 Nempe aliqua in nobis morum simulacra tuorum  
 12 effigies nostri praebuit ingenii ;  
 13 aut jam Fortunae sic se vertigo rotabat,  
 14 ut pondus fatis tam bona vota darent.  
 15 Si quid aput manes sentis, fovet hoc tibi mentem,  
 16 quod fieri optaras, id voluisse deum.

P25 PAULINUS ET DRYADIA FILII PAULINI ET MEGENTIRAE SORORIS FILIAE  
 v.1 Qui nomen vultumque patris, Pauline, gerebas,  
 2 amissi specimen qui genitoris eras ;  
 3 propter quem luctus miserae decedere matris  
 4 coeperat, offerret cum tua forma patrem,  
 5 redderet et mores et moribus adderet illud,  
 6 Paulinus caruit quo pater, eloquium :  
 7 eriperis laetis et pubescentibus annis  
 8 crudaque adhuc matris pectora sollicitas.  
 9 Flemus enim raptam thalami de sede sororem,  
 10 heu non maturo funere, Dryadiam.  
 11 Flemus, ego in primis, qui matris avunculus ac vos  
 12 natorum tamquam diligo progeniem.  
 13 Illa manus inter genetricis et oscula patris  
 14 occidit, Hispana tu regione procul.  
 15 Quam tener et primo, nove flos, decerperis aevo,  
 16 nondum purpureas cinctus, ephebe, genas !  
 17 Quattuor ediderat nunc facta puerpera partus,  
 18 funera set tumulis jam geminata dedit.  
 19 Sit satis hoc, Pauline pater ; divisio facta est :  
 20 debetur matri cetera progenies.

P26 PAULINUS SORORIS GENER  
 v.1 Qui laetum ingenium, mores qui diligit aequos  
 2 quique fidem sancta cum pietate colit,  
 3 Paulini manes mecum veneratus amicis  
 4 inroret lacrimis, annua liba ferens.  
 5 Aequaevus, Pauline, mihi natamque sororis  
 6 indeptus thalamo : sic mihi paene gener.  
 7 Stirpis Aquitanae mater tibi : nam genitori  
 8 Cossio Vasatum, municipale genus.  
 9 Scrinia praefecti meritis, rationibus inde  
 10 praepositus Libycis praemia opima capis.



11 Nam correcturae tibi Tarraco Hibera tribunal  
 12 praebuit, adfectans esse clienta tibi.  
 13 Tu socrum pro matre colens adfinis haberi  
 14 non poteris, nati cum fruerere loco.  
 15 Inter concordis vixisti fidus amicos,  
 16 duodeviginti functus Olympiadas.

AEMILIA DRYADIA MATERTERA

P27 v.1 Te quoque Dryadiam materteram  
 2 flebilibus modulis,  
 3 germana genitus, prope filius,  
 4 ore pio veneror.  
 5 Quam thalamo taedisque jugalibus  
 6 invida mors rapuit ;  
 7 mutavitque torum feretri vice  
 8 exsequialis honor.  
 9 Discebas in me, matertera  
 10 mater uti fieres.  
 11 Unde modo hoc maestum tibi defero  
 12 filius officium.

IULIA CATAPHRONIA AMITA

P28 v.1 Quin et funereis amitam impertire querellis,  
 2 Musa, Cataphroniam.  
 3 Innuba devotae quae virginitatis amorem  
 4 parcaque anus coluit ;  
 5 et mihi, quod potuit, quamvis de paupere summa,  
 6 mater uti, adtribuit.  
 7 Ergo commemorata have maestumque vocata  
 8 pro genetrice vale.

IULIA VENERIA AMITA

P29 v.1 Et amita Veneria properiter obiit ;  
 2 cui brevia melea modifica recino :  
 3 cinis ut placidulus ab opere vigeat,  
 4 celeripes adeat loca tacita Erebi.

IULIA IDALIA CONSOBRINA

P30 v.1 Parva etiam fuit Idalia,  
 2 nomine praedita quae Paphiae  
 3 et speciem meruit Veneris.  
 4 Quae genita est mihi paene soror.  
 5 filia nam fuit haec amitae,  
 6 quam celebrat sub honore pio  
 7 nenia carine funereo.

AEMILIA MELANIA SOROR

P31 v.1 Aemilia et, vix nota mihi soror, accipe questus,  
 2 debent quos cineri maesta elegea tuo.  
 3 Conjunxit nostras aequaeva infantia cunas,  
 4 uno quamvis tu consule major eras.  
 5 Invida set nimium Lachesis properata peregit  
 6 tempora et ad manes funera acerba dedit.

7 Praemissa ergo vale manesque verere parentum,  
8 qui majore aevo quique minore venit.

POMPONIA URBICA CONSOCRUS UXOR IULIANI CENSORIS

P32 v.1 Ut generis clari, veterum sic femina morum,  
2 Urbica, Censoris nobilitata toro,  
3 ingenitis pollens virtutibus auctaque et illis,  
4 quas docuit conjunx, quas pater et genetrix -  
5 quas habuit Tanaquil, quas Pythagorea Theano,  
6 quaeque sine exemplo pro nece functa viri.  
7 Et tibi si fatum sic permutare dedisset,  
8 viveret hoc nostro tempore Censor adhuc.  
9 Set neque tu viduo longum cruciata sub aevo  
10 protinus optato fine secuta virum.  
11 Annua nunc maestis ferimus tibi justa querellis,  
12 cum genero et natis consocer Ausonius.